



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De
Expedita Ad Dei Amorem Via**

Comalada, Miguel

Elvaci, 1685

Cap. XX. De Paupertate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

circumstantiis, iusta rectaque sunt: nec nisi ad laudem & honorem DEI, vel ob propriam aut proximorum, sive animæ, sive corporis salutem, seu virtuti consentaneam utilitatem, vel ob Reipublicæ commodum cuncta facit, jam semper, ubique, & in omnibus cum simplicitate graditur. Is autem revera feliciter & securè graditur, qui hanc sibi perpetuam adhibet & servat comitem Simplicitatem.

De Paupertate.

CAPUT XX.

Desiderius hujuscemodi Simplicitatis Sermonibus impendit recreatus, cum ei valedixisset, ductus est à sæpè memorata Procuratrice in alterius cujusdam, ex Humilitatis filiabus, virginis cubiculum, cui nomen erat Paupertas. A qua

æquè

æquè placidè susceptus, ei que assidere iussus, ita eam affatus est. **DESID.** Equidem tua sodalitate non parùm delector, certus, Amorem **DEI** impendiò charam te habere. Velim autem conditiones ac statum tuum mihi edicas. **PAUPERTAS.** Ob Amorem **DEI**, nihil rerum labentium, sive mundi hujus, vel habeo vel appeto. **DESID.** Qua igitur ex re gaudium & consolationem capis? **PAUP.** Potissimus ac præcipuus thesaurus, opesque & gaudium ac consolatio mea est, causâ Amoris **DEI** nihil habere. **DESID.** Id sanè perquam miror: quandoquidem, ut ab aliis accepi, Domus ista à nobilissimo, ditissimo, ac liberalissimo, quem Orbis habeat, Domino fundata & extructa est. Cur igitur is ferre potest, aut quid causæ est, ut velit illius tam inopes, miseras ac indigas esse habitatrices? Neque enim etiamnum capio, quamobrem paupertas vestra illi grata esse queat.

PAUP. Id ex me audies. Dominus ille, qui hujus opifex & fundator est Domûs, totius mundi Rex & Dominus est, ejusque opes & thesauros omnes in sua manu habet: ac nihilo seciùs hæc illius grata voluntas est, ut pauperes simus, ne in aliquid aliud, præterquam in ipsum, cor, animum ac amorem nostrum conferamus & collocemus. Quòd si rerum omnium copiam ac affluentiam præstare nobis vellet, posset id quidem, sed amicis suis charioribus ita non facit, quòd ipsum solum appetant, atque hunc mundum odio prosequantur. Estque hoc vel præcipuum & maximum amoris illius erga nos indicium & argumentum, dum nos in hoc exilio, in hac vita ærumnosa minimè consolatur, nequidquam eorum, quæ caro concupiscit, nobis subministrat. Deinde etiam hac ex causa rebus inopem nos vult vitam agere, ne nos supervacaneæ rerum ac divitiarum tempo-

ra

raliū curæ & sollicitudines occu-
 pent, sed integris ac indistractis cor-
 dibus, cum omni gaudio spiritūs ipsi
 famulemur, neque rerum munda-
 narum & temporalium lucro vel ja-
 ctura, adversis vel prosperis casibus,
 vanâ lætitiâ vel mœrore afficiamur,
 atque ita corda nostra in pace & tran-
 quillitate absque tædio, perturbatio-
 ne vel distractione DE O unita sint.
 Ea namque Divini est Amoris tene-
 ritudo, ut non nisi in abstracto,
 mundo, pacato & tranquillo com-
 morari loco velit. DESID. Quæ-
 nam præcipua tua virtus est? PAUP.
 Ea videlicet, ut me consodalibus
 meis, quibuscum vivo, quoad fieri
 potest, conformem & adaptem.
 Unde tamen ob excludendam feram
 quandam, vocabulo Singularitatem,
 huc ad nos irrumpentem, hortumq;
 nostrum depascentem & fructus de-
 vorantem, Domina Mater nostra
 vult me vivere instar cæterarum. Et

ne virtutis meæ præmium amittam, sancto cuidam Proposito, cujus est nomen, Nihil Exigere, me in matrimonium collocavit. Ad hæc dixit mihi, siquidem perfecta effici velim, ut iis, quæ mihi ministrantur, siue multa sint, siue pauca, ac perinde communi & simplici victu, ut lautissimo, gaudeam & contenta sim: imò & de illis, quæ apponuntur, ob Amorem DEI quippiam reliquum esse sinam, satisque habeam, necessaria inde sumpsisse. *DESID.* Id sanè ejusmodi esse mihi videtur, ac si plus aliquid optes, quàm esse bonus, plus etiam facere velis, quàm sis obligatus. Nam, ut ego sentio, Dominus vester, qui has fundavit ædes, spiritûs paupertatem vobis præcipit, uti etiam Psalmographus, Divitiæ, inquit, si affluent, nolite cor apponere. Quamobrem sic arbitror, paupertatis virtutem non in eo sitam esse, si vel multum vel parùm habeas, sed in cordis affectu
vel

vel applicatione. PAUP. Haud inficias eo, virtutem paupertatis in spiritu consistere: at tamen tutius est, Divini causa Amoris, cunctis se nudare facultatibus, nec quicquam habere: quandoquidem amor & affectus noster erga res pulchras, jucundas, subtiles & novas usque adeò propensus est, ut eas agrè habere, quis possit absque amore, affectu & cordis appositione vel applicatione. Ne igitur quandam nostri erga DEUM amoris, qui tam exiguus est, partem ad se rapiant, satius est stramina ab igni remove. Enimverò DEI Amor totum hominis amorem soli sibi vendicat vel poscit: & per plures invenire est, qui hac in parte imponant sibi ipsis, dum ita aiunt: Equidem hujus rei non magno amore teneor, eamque mihi subtrahi haud gravatè ferrem. Crede mihi, amor & affectus tam subtilis est, ut perquam rarò ejuscemodi rebus non adhareat. Exemplum verò capias

ex ipso Domino Nostro JESU Christo, qui, cum omnes mundi facultates absque ulla cordis & amoris erga eas apponendi cura & metu habere potuisset, tamen quam pauperum ipse vixerit, tum etiam ejus veneranda Genitrix & sancti Apostoli, non te fugit. Quod quid aliud sibi vult, quam nihil nos neque animo, neque affectu, neque possessione retinere debere? Quapropter ea omnia, quæ in meo solebam cubiculo habere, prorsus à me rejeci: ita ut non nisi dulcissimi JESU mei imaginem, quemadmodum nudus pependit in cruce, retinuerim, quò illius erga me amoris memet commonefaciat. Per plures olim codices asseruere solita fui: at nunc removi omnes, paucis duntaxat, iisque præcipuis, reservatis, videlicet Bibliorum volumine, Vitæ JESU, & nonnullis parvis libellis: præter quos, nul-

los

los alios expeto, amantissimo JESU meo, & sacratissimæ vitæ illius codice abundè contenta.

De Obedientia.

CAPUT XXI.

Desiderius etiam ex hujus virginis dictis haud vulgari consolatione affectus, ei valedixit, perductusque est à Procuratrice in Obedientiæ cubiculum, quæ & ipsa Humilitatis filia erat. Huic Desiderius ingentem præstitit reverentiam, eò quòd magnæ dignitatis & auctoritatis, celebriorisque apud Amorem DEI existimationis, eidemque longè charior cæteris virginibus esse videretur. Cumque manum ejus deosculari vellet, non est passa, ut quæ Humilitatis esset filia, honorisq; ac reverentiæ exhibitione minimè delectaretur. Jussit autem eum unà